tinens duo puncta rubea: et duo nigra. Supra illam eſt
cellula proauus proauia: habens tria puncta rubea: et
tria nigra. Supra illam eſt cellula abauus abauia: ha=
bens quatuor rubea: et quatuor nigra. Deſcendendo
ſub cellula vacua eſt cellula habens filium filiam: et ha=
bet vnum punctū rubeū: et vnū nigrum. Sub illa habēs
nepotem et neptem: et duo puncta rubea, et duo nigra.
Sub illa pronepotem et proneptem: et tria pūcta rubea:
et tria nigra. Sub illa abnepotem et abneptem: et qua=
tuor puncta rubea, et quatuor nigra. ¶ Anteꝙ̄ ad colla
terales tranſeamus, ſcire debes ꝙ punctorum numera
tio eſt numeratio graduuꝫ habito reſpectu ad cellulam
vacuā: et pūcti rubei denotant cōputationē ſcđm ius ca
nonicum: pūcti nigri ſcđm ius ciuile etc. Ponitur autem
computatio canonica in ſuperiori parte cellularum, ciui
lis vero in inferiori: vt detur intelligi excellentia iuris ca
nonici ad ciuile: et maxime quo ad hunc caſum quo in=
ſtruimur in matrimonijs que licite contrahi poſſint nec=
ne, et cum matrimonium ſit ſacramentum eccleſie, in eo
precipue lex minor eſt canone. ex̄ de ſecund. nup. c. vlt. et
penul. Uides aūt ex punctatione p̄dicta ꝙ in cōputatio=
ne aſcendentiū et deſcendentiū cōcordat vtrūq; ius: qꝛ in
eis ſemper perſona addita perſone per carnis propaga
tionem gradum adijcit. ¶ Ad inueniendū autē gradus
inter eos ſcđm vtrūq; ius tolle hanc magiſtralem regu=
lam. Aſcendētiū et deſcēdentiū quot ſunt ꝑſone de qui=
bus queritur computatis intermedijs vna dempta: tot
ſunt gradus inter eas. Si igit̄ vis ſcire q̄tū diſtat aba=
uus a Petrucio: vtroq; cōputato et intermedijs, quinq;
ſunt perſone, deme vnā: quatuor ſunt gradus. Idem di
co de ipſo P. ad abnepotē: qꝛ eo modo erit reperire q̄nq;
perſonas: et ſic quatuor ſunt gradus. Si vis ſcire quot
diſtet abauus. P. ab abnepote P. inuenies ibi nouē per=
ſonas computato P. et ſic octo erūt gradus. Scio autē
ꝙ iſte P. nō habet totā ſuā cōputationē in arbore. Scis
em̄ ꝙ quilibet hꝫ duos parētes: quatuor auos: octo pro=
auos: ſedecim abauos: et ſic ſemꝑ aſcēdētes duplicātur.
Unde impoſſibile fuiſſet tot ꝑſonas in arbore ſcribere.
¶ Quero an inter aſcendētes et deſcēdētes ꝓhibitio co=
pule coniugalis excedat quartū gradū? Et dicit Hoſ. in
ſum. de cōſan. et affi. §. itē q̄tū. ꝙ nō per decre. nō debet.
eo. ti. q̄ gn̄aliter loquit̄. Alij cōiter ꝯtradicētes iter aſcen
dētes et deſcēdētes perpetuā eſſe ꝓhibitionē dicūt. et qđ
de quarto gradu dicit̄, in collateralibus locuꝫ hꝫ ad hoc
xxxv. q. iij. progeniē. et duobus ca. ſeq. in quibus dicit̄ ꝙ
olim nō ſolū vſq; ad ſcđm gradū. ſed etiā inquantū noti
tia erat parētele, extendebatur prohibitio. Ex quo ergo
certū eſt alterū deſcendētem et alterū aſcendētem, per=
durat prohibitio ad idem inſti. de nup. §. j. ff. de rit. nup.
l. nuptie. et hoc verum puto. ¶ Ad collaterales tranſ=
eamus, et ad fratrem et ſororem: et cauſa breuitatis pro=
ſequendo ſolum partem mediam arboris ad modum
vexilli: qua intellecta reliqua intelligetur: quod per ſe

patet: dicamus de fratre et deſcendentib⁹. Sub cellula fratris, fratris filius filia: ex illa fratris nepos neptis, ex illa fratris ꝓnepos ꝓneptis: ⁊ frater P. eſt cũ P. in p̃mo gradu ſm canones, in ſecundo ſm leges. Ei⁹ filius in ſecundo, ſm canones: in tertio, ſm leges. Nepos in tertio, ſm canones: in quarto, ſm leges. Fratris pronepos eſt ipſi P. in quarto ſm canones, in quinto ſm leges; et ſic debet eſſe vtraq̧ punctatio, ⁊ iſti ſunt collaterales ad P. Et nunc de cellula patris fecimus ſtipitem. Fac conſequenter ſtipitem de auo, ex eo patruus amita, ex illa frater patruelis et amitinus, ſoror patruelis ⁊ amitina ex illa horum filius filia, ex illa horum nepos neptis. Patru⁹ eſt P. ſecũdo gradu, frater patruelis etiam ſecũdo gradu, filius in tertio, nepos in quarto ſm canones. Per leges autẽ patruus in tertio, frater patruelis in quarto, filius in quinto, nepos in ſexto: ⁊ ſic debet eſſe vtraq̧ pũctatio. Poſtea fac proauum ſtipitem, ⁊ habet filios patruum magnum, amitam magnam: auum ⁊ auiã, auunculũ magnum, ⁊ materteram magnam, illos non ꝓſeq̃mur. Ex cellula patrui magni propior ſobrin⁹, ꝓpior ſobrina: ex illa hoꝝ fili⁹ filia, ex illa eorũdem nepos neptis. Et quia P. diſtat a proauo quem nunc feci ſtipitẽ, tertio gradu: ergo a patruo tertio ⁊ a propiori ſobrino tertio, et a filio tertio, ⁊ a nepote qui exit lineã equalitatis, quarto ſm canones: ſm leges vero diſtat P. a patruo magno quarto, a propiori ſobrino quinto, ⁊ a filio ſexto, a nepote ſeptimo, ⁊ ſic debet eſſe vtraq̧ punctatio. Modo fac abauum ſtipitem cum tribus filijs, ſcilicet propatruo, et proauo, et proauunculo. De proauunculo non proſequor. Ex cellula propatrui oritur cellula horum filius filia: ex illa, horum nepos neptis: ex illa, eorundem pronepos proneptis. Iſti omnes ſunt cum P. in quarto gradu, quia P. diſtat a ſtipite in quarto gradu: et ex illa linea nullus exit lineam equalitatis, ergo omnes diſtant quarto. Secundũ leges ꝓpatruus diſtat. v. fili⁹. vj. nepos. vij. pronepos. viij. ⁊ ſic debet eſſe vtraq̧ punctatio.

¶ Nunc videndũ eſt q̃b⁹ regulis grad⁹ illoꝝ collateralium cognoſcant̃. Collateralium equalis linee vnam trado regulam ſm canones. ¶ Collateraliũ in linea equali quoto gradu quis diſtat a communi ſtipite toto diſtant inter ſe vel ſibi attinent, hoc ſm canones. Exemplum pone quando facis abauum ſtipitem inter P. ⁊ ꝓnepotem propatrui: nã quia illi ſunt in linea equali quilibet diſtat a ſtipite quarto gradu, ergo inter ſe quarto.

Regła ꝯ collateralibus in linea eq̃li.

¶ Secundum leges vero aliter eſt, ⁊ ſic dicim⁹ regulã. Collateralium in linea equali quoto gradu quis diſtat a communi ſtipite, toto duplicato, diſtant inter ſe vel ſibi attinẽt. Vides ergo ex ſuperius dictis ⁊ ex punctatione, q̧ predicti P. ⁊ pronepos propatrui diſtant octauo. Et inſurgit illa diuerſitas, quia ſm leges quelibet perſona gradum facit in collateralibus. Unde duo fratres faciũt duos gradus, ſm canones vero due perſone faciunt vnum gradum: vnde vt patet in cellula fratris, frater eſt cum P. in primo gradu ſm canones, in ſecundo ſm leges, ſed cõputatio eoꝝ ob aliud fit ꝙ̃ noſtra. xxxv. q. v. ca. ij. bene ergo dicitur ſm leges q̧ in equali linea collateraliũ, ſiue linea ſit paris numeri, ſiue diſparis, nõ eſt reperire diſparem gradũ: vide in linea paris numeri ſecunda vel quarta, diſparis numeri prima vel tertia. In prima duos gradus, in ſecunda quatuor, in tertia ſex, in quarta octo: qđ nõ eſt ſm canones, qꝛ in equali linea diſparis numeri habemus diſparẽ gradũ: qꝛ in prima primum, in tertia tertium, in quinta quintũ, ⁊ ſic de ſingulis.

Regła ciuilis ꝯ collateralib⁹ in linea equali.

¶ Nunc reſtat videre de collateralib⁹ in linea inequali, de quib⁹ tradit̃ talis regula ſm canones. ¶ Collateraliũ in linea inequali quoto gradu remotior diſtat a cõmuni ſtipite toto diſtant inter ſe. Exẽplũ pone faciendo abauũ ſtipitem P. et fili⁹ ꝓpatrui ſunt in linea inequali. Cõputem⁹ ergo a remotiori. ſ. a P. ſed P. diſtat a ſtipite quarto gradu, ergo a filio ꝓpatrui. iiij. ⁊ idẽ in deſcẽdẽtib⁹ vſq̧ ad lineam equalitatis: ⁊ hoc eſt qđ dicim⁹ qđ perſona addita perſone vſq̧ ad lineã equalitatis non creſcit grad⁹, qꝛ propatru⁹ filius ei⁹ nepos ⁊ ꝓnepos omnes diſtãt quarto gradu a P. ſed aliter ſm leges ſm quas talẽ regulã tradimus.

Regła canonica in linea inequali.

¶ Collateraliũ in linea inequali quot ſunt perſone (ſtipite dẽpto) tot ſunt gradus: vnde P. a ſtipite diſtat quarto, a ꝓpatruo q̃nto, a filio ſexto, a nepote ſeptimo, a ꝓnepote. viij. ⁊ ſic quelibet pſona facit gradũ. Vides ex ſupradictis q̧ P nõ poteſt ꝯtrahere cũ aliqua de arbore. Diſtat em̃ a ſummo. ſ. abauo, ab imo. ſ. a nepote ab extremis collateraliũ, ab oĩb⁹ his q̃rto a medijs citeriori: p qđ ſatis ptz q̧ cũ nullo põt ꝯtrahere. Sz ſi extrem⁹ in collateralib⁹: vtputa ſi ꝓnepos ꝓpatrui, vel ꝓnepos fratris ꝓcrearet filiã, poſſet P. cũ illis ꝯtrahere. Licet autẽ contrahat in q̃nto gradu remanet tãtũ ꝯſanguinitas: ꝓhibitio em̃ q̃ per ius poſitiuũ ꝓceſſerat, potuit tolli, ſz naturalia ſunt immutabilia. v. diſt. in p̃n. Scire debeas q̧ cõmuniter dicũt doctores q̧ abau⁹, ⁊ ꝓauus, ⁊ auus ſunt bigami, dicẽtes q̧ ſi nõ eſſent bigami, nõ poſſent filij eorum cõiungi cũ eſſent fratres: ſz de hoc non multũ curo, qꝛ eadẽ ratione ſic eſſet de alijs cellulis duplicib⁹, q̧ pſone earũ eſſent bigami: vnde fingam⁹ perinde acſi in q̃libet duplici cellula haberem⁹ q̃tuor perſonas acſi diceret̃ ꝓpatruus ⁊ vxor, ꝓamita ⁊ marit⁹: vnde duplicatio poſita fuit vt nomina demonſtraret in vtroq̧ ſexu non vt eos ꝯiuges denotaret. Sciendũ q̧ in collateralib⁹ equalis linee bene ſequit̃ iſta regła affirmãdo ⁊ negãdo. Ego et tu ſum⁹ ꝯſanguinei in linea equali, ⁊ ego poſſum accipere filiã tuã, ergo tu meã. Et negatiue. Ego nõ poſſum accipere filiã tuã, ergo nec tu meã. Affirmatiua ꝓcedit in linea equali quarti grad⁹. Negatiua in tertio vel citeriori. Sz in linea inequali hoc nõ ꝓcedit affirmãdo vel negãdo: qꝛ ſi vn⁹ eſt in quarto, alter in tertio vel citeriori: q̃ eſt in tertio gradu vel citeriori põt ꝯtrahere cũ filia ei⁹ q̃ eſt in quarto gradu, ⁊ nõ econuerſo: vnde ꝓpatruus huius fili⁹ ⁊ nepos ꝯtrahere poſſunt cũ filia P. ſed nõ econuerſo. Demũ querit̃ an collaterales quoꝝ vn⁹ eſt in q̃nto, ⁊ alter in primo: puta filia P. ⁊ ꝓpatruus poſſint adinuicẽ cõtrahere: dicit Hoſtiẽ. q̧ nõ. ⁊ hoc no. ex. e. q̧ dilectio. ⁊ ca. tua. ⁊ in ſumma hui⁹ titu. de cõſan. §. nunq̃d in quinto. ⁊ p̃mo qđ per ſua argumẽta nitit̃ ꝓbare ſic. ſ. pater ⁊ fili⁹ vna perſona cẽſent̃. C. de impu. ⁊ alijs ſub. l. vl. ſicut ergo nõ ꝯtrahit̃ cũ ſtipite, ſic nec cũ filijs ſtipitis. bene facit predicta decre. tua. vbi fratres vident̃ poni ꝓ ſtipite. Contrarium tenet Ber. qđ colligit̃ ex glo. quã ponit. ẽ. eo. titu. ca. vlt. ⁊ Ra. ⁊ Joã. de deo. ⁊ hoc eſt veriſſimum. qđ ꝓbãt verba regule poſite. ẽ. eo. c. vlti. dum dicit ibi deſcendentium ab eodem, ſed certum eſt q̧ propatru⁹ deſcẽdat a ſtipite. Preterea aut dicis q̧ eſt inter eos prohibitio aſcendentium ⁊ deſcendentium aut collateralium: de primo patet negãdo q̧ certum eſt filium P. nõ deſcẽdiſſe a ꝓpatruo. Eſt ergo ꝓhibitio collateraliũ: ſed certũ eſt q̧ iſti diſtãt quinto, q̃d igit̃ impediat iſtos collaterales ꝯtrahere nõ video. Joannes andree.

WW iiij

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

¶ Affinitas ſm canones eſt perſonarum proximitas ex coitu proueniens, omni carens parentela. Et dicitur affinitas quaſi duoꝝ ad vnum finē vnitas, eo ꝙ due cognationes diuerſe per nuptias ſm leges, vel per coitū ſm canones copulātur, ⁊ alter ad alteriꝰ cognationis finē accedit: vt ff. de gradi. cogna. l. non facile. §. affines.

¶ Scias autem ꝙ affinitas eſt perpetuum impedimentum: quod durat etiam mortua perſona qua mediante contrahitur. xxxv. queſtione. x. fraternitatis.

¶ Per carnalem copulam viri ⁊ mulieris inter conſanguineos mulieris ⁊ virum: ⁊ inter conſanguineos viri et mulierem contrahitur affinitas primi generis eiuſdem gradus cuius eſt conſanguinitas Si ergo cōſanguineus tuus cognoſcat mulierem: ſi vis ſcire quoto gradu affinitatis attinet tibi mulier illa: vide quoto gradu eſt tibi cōſanguineus tuus: ⁊ quoto eſt tibi ille conſanguineus, toto mulier eſt tibi affinis, et ſemper in primo genere. Dictum eſt in regula viri et mulieris ⁊ non viri ⁊ vxoris, quia ſecūdum canones etiam per coitum fornicarium ⁊ inceſtuoſum contrahitur affinitas. patet de eo qui cogno. conſan. vxo. ſue. ca. diſcretionē. ⁊ ca. penul.

¶ Inter conſanguineos mulieris ⁊ virum, ⁊ conſanguineos viri ⁊ mulierē: ideo dicit quia inter virum ⁊ mulierem non contrahit affinitas, ſed ipſi ſunt affinitatis cauſa.

¶ Item inter conſanguineos viri ⁊ conſanguineos mulieris nulla eſt affinitas: vnde duo fratres contrahūt cum duabus ſororibus: pater ⁊ filius cū matre ⁊ filia, ſed eſt affinitas inter conſanguineos mulieris ⁊ ipſum virū, ⁊ conſanguineos viri ⁊ ipſam mulierem. de conſanguinita. ⁊ affini. quod ſuper his.

¶ Regula infallibilis et clariſſima ad cognoſcēdam affinitatem.

¶ Quotienſcūqꝫ inter vnam perſonarum de q̄bus querit ⁊ coniugem alteriꝰ non eſt vel nō fuit conſanguinitas intra quartū gradum incluſiue nulla eſt ꝓhibitio: vt inter me ⁊ cōiugem nepotis mei non poteſt eſſe matrimoniū, qꝛ nepos meꝰ eſt mihi cōſanguineꝰ intra quartū gradum.

¶ Aliud exemplum.

¶ Soror mea habuit maritum, ea mortua maritus eiꝰ aliam accepit: quo defuncto potero contrahere cum eius relicta, quia inter me et illam relictam nulla eſt nec fuit conſanguinitas: et ſic de alijs omnibus.

¶ Arboris affinitatis metrica commendatio.

Ramifera cunctos affines arbore noſces.
Carnale fedus copula tale dabit.
Illicitus, licituſve tibi coitus creat iſtos.
Nexus: vt noſtri dogmata iuris habent.
Leges canonico ciuiles cedite iuri.
Huic vos peccati cauſa ſubeſſe facit.

Sanguinis affines arbor preſens reſerabit.
Huic vias faciles prima figura dabit.



Ad arborem affinitatis, et eius materiam tranſeamus. Et primo videndum eſt quid ſit affinitas, ⁊ vnde dicatur, ⁊ quomodo ipſi⁹ genera inſurgant, ⁊ gradus computent: deinde arborem formemus: ponem⁹ poſtea quedam notabilia, ⁊ quaſdã queſtiones. ¶ Eſt autem affinitas perſonarum proximitas ex coitu ꝓueniẽs omni carens parentela. hoc ſm canones. ſed ſm leges eſt proximitas proueniens ex nuptijs: ⁊ requiritur ſm leges ꝙ legitime ſint nuptie non interdicte, vt contrahatur affinitas. ff. de gradi. l. non facile. §. ſciendum. Et dicitur affinitas quaſi duorum ad vnum finẽ vnitas, eo ꝙ due cognationes diuerſe per nuptias ſm leges, vel per coitum ſm canones copulant, ⁊ alter ad alterius cognationis finem accedit: vt in ea. l. §. affines. ¶ Sed q: per fornicarium coitũ ⁊ inceſtuoſum ſm nos contrahatur affinitas, patet de eo qui cogno. conſan. vxo. ſue. ca. diſcretionem. ⁊ e. ti. ca. pe. Sed conſideratio legis fuit circa hereditates ⁊ tutelas deferẽdas, ⁊ ne quis cogatur aduerſus affinem teſtimonium dicere. ff. de gradi. l. iuriſconſultus. in prin. ⁊ ff. de teſti. l. iij. ⁊ iiij. q iij. §. item in criminali. ver. item lege iulia. Sed canon quo ad matrimonia prohibenda conſiderauit vnionem carnis que inſurgit ex copula. Et eſt videri ſm hoc ꝙ concurrere poteſt attinẽtia conſanguinitatis ⁊ affinitatis: vt ſi quis cognoſcat cõſanguineam ſuam, omnes conſanguinei vtriuſqꝫ ſunt vtriqꝫ affines. Scias autem ꝙ affinitas eſt perpetuum impedimẽtum: quod durat etiam mortua perſona, qua mediante contrahitur. xxxv. q. x. fraternitatis. Nec oritur affinitas ex pollutione extraordinaria que fit extra clauſtra pudoris. xxxv. queſt. iij. extraordinaria. et adde quod ibi notatur. ¶ Et inſurgit affinitas ex coitu interdum cum publica honeſtate, interdũ ſine, ⁊ publica honeſtas interdum ſine affinitate: vt ſi cognoſco vxorem vel ſponſam, hic impedimentum eſt publice honeſtatis ⁊ affinitatis: cognoſco non ſponſam, hic affinitas ſola eſt: ſi ſponſam nondum cognoui, ibi ſola publica honeſtas. Hoc dico, quia ſi mortua eſt vxor tua, ⁊ vis contrahere de diſpenſatione eccleſie cum conſanguinea ſua, et eccleſia diſpenſat ꝙ poſſis contrahere cum illa: non obſtante ꝙ ſit tibi affinis tali gradu, per diſpenſationem adhuc contrahere non poteris: quia licet ſublatum ſit impedimentum affinitatis, non tamen ſublatum eſt impedimentum publice honeſtatis. Debes facere ergo exprimi ꝙ poſſis cum tali contrahere non obſtante impedimẽto publice honeſtatis, pro eo ꝙ deſponſaſti conſanguineam eius in quarto gradu: ⁊ non obſtante ꝙ eſt tibi affinis in quarto, pro eo ꝙ dictam deſponſatam carnaliter cognouiſti, ⁊ tunc matrimonium procedere poterit.

¶ Genus affinitatis cognoſcitur per hanc regulam, ſed non gradus. Perſona addita perſone per carnis copulam mutat genus, ſed non gradum. Iſto modo ſi is qui eſt mihi in ſecundo gradu conſanguinitatis cognoſcit mulierem: illa eſt mihi ſecundo gradu affinitatis, et primo genere: ſi alius eam cognoſcit, ille attinet mihi ſecundo genere affinitatis ⁊ ſecundo gradu: ſi ille aliam mulierem cognoſcit, illa attinet mihi tertio genere affinitatis et ſecundo gradu. Sed quia ſolum primum genus hodie habet prohibitionem. et quia B. plene tradidit extra de conſanguinita. ⁊ affinita. cap. non debet. hic circa hoc non inſiſto. ergo ſi perſona mihi conſanguinea coniungat ſibi aliam perſonam carnali copula, perſona iuncta eſt mihi affinis primo genere affinitatis ſi attinens mihi primo genere affinitatis, carnali copula ſe alteri cõmiſceat, illa attinet mihi ſecundo genere: ſi affinis mihi ſecundo genere aliquam cognoſcat, illa eſt mihi affinis tertio genere, ſed eodem gradu. Eſt igitur videre de gradibus. Certum eſt ꝙ affinitas non habet hodie prohibitionem, niſi in primo genere: ⁊ in illo vſqꝫ ad quartum gradum, licet affinitas non habet ſuam ſpecialem computationem graduum, ſed computantur gradus affinitatis, ſecundum gradus conſanguinitatis. Si ergo conſanguineus tuus cognoſcat mulierem: ſi vis ſcire quoto gradu affinitatis attinet tibi illa mulier, vide quoto gradu eſt tibi conſanguineus tuus, ſm regulas quas tradidi in proxima arbore: ⁊ quoto eſt tibi ille conſanguineus, toto mulier eſt tibi affinis, et ſemper in primo genere.

¶ Nunc formemus arborem. In medio arboris ſunt quatuor cellule: ⁊ in prima ſuperiori ponit̃ primus gradus, in ſecunda ſecũdus, in tertia terti⁹, in quarta quartus gradus. Et de his primo queritur quare ponant̃ in medio fratris ⁊ ſororis. Secundo, quare non exprimant attinentiam dicendo primus gradus affinitatis, ⁊ ſic de ſingulis. Ad primũ dic hoc fuiſſe vt detur intelligi ꝙ affinitas oritur ex conſanguinitate, ⁊ ꝙ ab vtroqꝫ ſexu virili ⁊ femineo affinitas contrahatur. Ad ſecundum dic attinentiam nõ fuiſſe expreſſam, vt illa computatio graduũ ad cõſanguinitatem ⁊ affinitatem referatur, vnde ſoror et frater ſunt in primo gradu conſanguinitatis, ⁊ frater ⁊ vir ſororis ſunt in primo gradu affinitat;, ⁊ ſic de alijs. Deinde a latere dextro directe linee ponitur alia linea quatuor cellulas continens: in prima ſcribitur frater, in ſecunda fratris filius, in tertia fratris nepos, in quarta fratris pronepos. Ad dorſum huius alia linea continẽs alias quatuor cellulas: in quarum prima ſcribitur vxor fratris olim relicta, in ſecunda vxor filij fratris, in tertia vxor nepotis fratris, in quarta vxor pronepotis fratris. A latere ſiniſtro ſunt alie quatuor cellule, quarum prima ſoror, ſecunda ſororis filia, tertia ſororis nept;, quarta ſororis proneptis. Ad dorſum harum ſunt alie quatuor: prima vir ſororis olim relictus, ſecunda vir filie ſororis, tertia vir neptis ſororis, quarta vir proneptis ſororis. Ponuntur etiam alie due cellule: vna a latere dextro continens relictus relicte fratris, a ſiniſtris relicta relicti ſororis que ſecundum omnes ponuntur ad decorem, et ad demonſtrandum genera affinitatis que hodie prohibitionem non habent. Adhuc habes duas lineas reflexas quarum vna oritur in cellula fratris, ⁊ terminatur in cellula viri ſororis, in qua ſcribitur primum genus affinitatis. Item alia linea reflexa que oritur in cellula ſororis, et terminatur in cellula vxoris fratris in qua idem ſcribitur.

¶ Queſtio.

¶ Circa hoc quero quare in cellula vxor fratris ſcribitur olim relicta, quod non ponitur in alijs cellulis inferioribus eiuſdem linee? Et dic hoc factum fuiſſe propter cellulam que ponitur ad dorſum illius, quaſi dicat, frater habuit vxorem: mortuo fratre, vxor a eo relicta contraxit cum alio viro: illa demum mortua iſte relictus a relicta fratris vult contrahere cum ſorore, nunquid poteſt? Olim non poterat quia erat ſibi in ſecundo genere et primo gradu, hodie vero poteſt. Idem ſit repetitum quo ad cellulam viri vxoris. ¶ Ad cognoſcendum ergo gradus affinitatis et genus tam per formam arboris ꝙ ex prius dictis tolle hanc ſolam regulam magiſtralem. Per carnalem copulam viri et mulieris inter conſanguineos mulieris et virum, et inter conſanguineos viri et mulierem contrahitur affinitas primi generis ⁊ eiuſdem gradus cuius eſt cõſanguinitas. Quare dicatur in regula per carnalẽ copulam viri et mulieris, ⁊ nõ viri ⁊ vxoris: collige ex his que in principio dixi.

Affinitat; definitio.

Affinitas per coitum nefariũ ꝯhit.

Affinitat; genus per quã regulã cognoſcit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Inter conſanguineos mulieris ⁊ virũ et conſanguineos viri et mulierem. ideo dixi quia inter virum et mulierem non contrahitur affinitas: ſed ipſi ſunt affinitatis cauſa. Item inter conſanguineos viri et conſanguineos mulieris nulla eſt affinitas: vnde duo fratres cõtrahunt cum duabus ſororibus: pater ⁊ filius cum matre ⁊ filia. Sed eſt affinitas inter conſanguineos mulieris et ipſum virum: et conſanguineos viri et ipſam mulierem: extra de conſangui. et affi. ꝙ ſuper his. Primi generis quare dixerim etiam ex ſuperioribus patuit. Et eiuſdez gradus cuius eſt conſanguinitas: vide hoc in arbore. nam frater et ſoror ſunt in primo gradu conſanguinitatis: maritus ſororis eſt fratri in ꝓmo gradu affinitatis: et ſic vxor fratris ſorori. et ſic filia ſororis eſt filio fratris et ipſi fratri in ſecundo gradu conſanguinitatis: maritus eius in ſecundo gradu affinitatis: et econuerſo. et ſic in reliquis. Unde vir proneptis ſororis attinet fratri ⁊ omnibus deſcendẽtibus ꝗ ſunt in arbore quarto gradu affinitatis. ⁊ hoc ideo: quia toto gradu conſanguinitatis attinet predictis ipſa proneptis. Qui ſunt in arbore ideo dixi: quia ſi pronepos fratris haberet filium, ille excederet lineam equalitatis: et ſic attinet quinto gradu ſecundum regulas traditas in proxima arbore. ¶ Poſt hoc notandum eſt, illud preciſe non ſequitur. ego ⁊ tu ſumus affines: ergo filius quem procreo, eſt tibi affinis. Nam interdum filius meus mutat genus attinentie: quia ego ſum tibi affinis: et ipſe conſanguineus interdum nil attinet tibi. interdum mutat gradum. interdũ nec mutat genus nec gradum. Exemplum. ſi ego et tu ſumus affines per appoſitionem mei: quia ſcilicet contraxi cum conſanguinea tua: ſi ex dicta conſanguinea tua filium ꝓcreo, ille eſt tibi conſanguineus non affinis. ſed ſi ego maritus conſanguinee tue ex alia muliere filium procreo, ille nec eſt tibi cõſanguineus nec affinis. Si vero tu cõſanguineus vxoris mee filium procreas: hic filius non mutat genus attinentie: quia tu pater es mihi affinis ⁊ ipſe affinis. ſed ſi tu ⁊ vxor mea eratis ĩ equali linea vel inequali: ⁊ eras remotior: quia tu eras in tertio: ipſa in ſecundo vel primo: tunc ipſe filius mutat gradum: quia tu pater es mihi in tertio gradu affinitatis ⁊ ipſe mihi in quarto. Si vero tu et vxor mea eratis ꝯſanguinei in linea inequali: ſed vxor mea erat remotior: vt quia ipſa in tertio. ⁊ tu in ſecundo. tunc filius tuus non mutat genus nec gradum: quia tu mihi affinis, ⁊ ipſe affinis: tu in tertio gradu: ⁊ ipſe in tertio gradu. Item nota ꝙ iſtud etiam non ſequitur. ego ⁊ tu ſumus affines, et ego nõ poſſum accipere filiã tuam: ergo nec tu meam: quia ſi habeam cõſanguineam tuam in vxorem. tu bene potes contrahere cũ filia mea quam habui ex alia muliere: quia affinitas non contrahitur inter conſanguineos viri et conſanguineos mulieris. ſed inter virum et cõſanguineos mulieris: ⁊ inter mulierem et conſanguineos viri: vt dixi et probatur extra de conſangui. ⁊ affi. ꝙ ſuper his. Sed ego non poſſum contrahere cum filia tua niſi forſan illa excederet quartũ gradum: vt quia eſſet in quinto ⁊ eſt ſimile ſecundum quod dixi. ſ. in proxima arbore circa finem. ¶ Nunc queritur an affinitas inter aſcẽdentes ⁊ deſcẽdentes habeat perpetuam prohibitionem: an extendatur tantum vſqꝫ ad quartum gradum. Et ſi teneremus opinionem Hoſ. de qua dixi. ſ. in arbore proxima circa medium diceremus ꝙ vſqꝫ ad quartum gradum tantum. Sed tenendo contrariam opinionem dicemus ꝙ prohibitio ſit perpetua. Dicit enim textus ꝙ ita abſtinere debemus a cõſanguineis vxoris, vt a proprijs. extra de conſang. ⁊ affini. ca. j. xxxv. queſt. iij. de propinquis. ⁊. c. equaliter. Si ergo inter conſanguineos aſcendentes ⁊ deſcendentes prohibitio extẽditur in infinitum: ergo inter affines, ad idem inſti. de nup. §. affinitatis. ⁊ dicit lex ꝙ tales affines aſcendentes ⁊ deſcendentes habentur loco parentum ⁊ liberorum. ff. de gradi. l. non facile. §. ⁊ retro. in fine. Eodem modo poſſet formari queſtio de affinibus quorum vnus eſt in primo gradu: alter in quinto ſicut in cõſanguineis dixi. ſ. in arbore proxima. in fine. An autem liceat diuerſis tẽporibus habere in vxores duas cognatas, ſcilicet vxores duorum fratrum: et an coniuncti olim in gradu prohibito hodie ꝑmiſſo ſimul manere poſſint, de hoc vide not. extra de conſangui. et affi. ca. nõ debet. ¶ Ultimo queritur ad vtrãqꝫ arborem an prohibitio cõſanguineorum vel affinium coniungendorum ꝓcedat ex prohibitione diuina: an ex humana: ⁊ quare facta fuit ꝓhibitio. Breuiter ſcias ꝙ olim propter neceſſitatem frater neceſſario habuit contrahere cum ſorore: et cõſanguinei cum cõſanguineis. vnde tunc in collateralibus non erat ꝓhibitio hoc fuit a principio generis humani in filijs ⁊ nepotibus ade. hoc etiam fuit poſt diluuiũ in nepotibus noe. In leuitico vero prohibite fuerunt fere duodecim perſone. quas vide not. extra de reſti. ſpol. literas. ⁊ de diuor. ca. gaudemus. Demum ius poſitiuum canonicum prohibuit conſanguineos ⁊ affines primi generis coniũgi in ſeptimo gradu ⁊ citeriori: que prohibitio poſtea vſqꝫ ad quartum gradum eſt reſtricta. extra eo. non debet reuocatis etiam quibuſdam alijs prohibitionibus: vt patet. Reuocatio vero fuit ex cauſa que ibi ponitur. ⁊ extra de teſti. ca. licet ex quadam. per qđ patet, ꝙ prohibitio partim ꝓcedit ex iure diuino: ⁊ partim ex poſitiuo. Unde in ſecũdo gradu equalis linee collaterales cõtrahere poſſunt a iure diuino: ſed non poſitiuo. Ratio vero prohibitionis ſumitur. xxxv. queſt. j. §. j. ca. j. fuit eñ ꝓpter charitatem ampliãdam. Nam ſi contraherẽ cũ ſorore idem eſſet pater ⁊ ſocer: mater ⁊ ſocrus. vir ⁊ frater ⁊c. Sed ſi alium habeo patrem, alium ſocer, numeroſius ſe charitas protenderet. in qua vniuerſi fideles ⁊ precipue ſtudentes continue perſeuerẽt per gratiam eius qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

¶ Explicit ingenioſa vtriuſqꝫ arboris declaratio: per Joannẽ andream iuris monarchã cõpilata.

Affinitas per notabila declaraf.

Affinitas ꝓhibitio inter aſcẽdẽtes ⁊ deſcẽdẽtes eſt perpetua.

Cõſanguinei et affines ꝗ iure ꝓhibent cõiũgi.